

1256 qui auxiliares ad id bellum classes miserant. Accidit itaque, ut Veneti Genuensesque commune fanum in ea essent urbe fortiti, quum privum vicum, privumque forum alioquin haberent. De hujus itaque possessione animi jam antea æmulatione, inde odio accensi, disceptare cœperant: Veneti non vicum tantum, sed tertiam quoque urbis partem sibi ex fœdere cum Baldoino iusto deberi dicentes, ipsam quæ Divo Sabbæ sacra erat ædem, jure fœderis sibi vendicabant. Instabant Genuenses, neque fœderibus, neque sociis cessuri: apparebatque ingens malum ex ea altercatione rei Christianæ in Syria eminere. Sed ad tollendam futuri certaminis causam res ad Alexandrum Quartum, Romanum Pontificem, est delata. Censuit mox ille, æquitatis non parum, sed magis quietis amicus, utrorunque commune oportere esse fanum, quando ipsa quoque sacra communia essent omnibus. Eam Pontificis declarationem quum Genuenses aliquanto prius quam Veneti cognovissent, non expectatis ab Alexandro literis, sed Philippi Monfortensis, Gallica gente orti, tunc quoque urbis Præfecti, benevolentia freti, locum occupant, atque celeri opere in arcis speciem communiunt. Tantum absuit, ut Philippus Venetis præsentem injuriam querentibus consultum aliquo modo voluerit, quod tertiam partem urbis sibi ex fœdere vendicantes, populariter inde abire jusserit. Tam insignem contumeliam Veneti haud sibi ferendam rati, confestim cum Manfredo Siciliæ Rege adversus Genuenses fœdus ineunt. Sed dum Veneti in comparandis armis occupati essent, interim Dux Antiochenus, & Hierosolymitani templi Antistes Philippum graviter increpitum identidem per literas monent, ut consideratius ageret: prædicantes uno ore omnes, fore, ut nisi Veneti in gratiam cum Genuensibus redirent, qui ipsius illorumque insolentia alienati essent, res Christiana non multo post ingentem ex ea discordia cladem in Syria acciperet. Horum verissimam prædicationem quum eum aspernari Veneti rescivissent, appareretque neque monitionibus ullis, neque minis ingentes illius spiritus remitti, sed pertinaciter in eo odio,

quod